



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum liber vitæ approprietur filio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

ARTICVLVS III.

Vtrum liber vitæ approprietur filio.

A Ad quartum dicendum, quod quamuis liber approprietur filio, tamē et cōuenit patri cum sit cōmune non proprium, & ideo non est inconueniens, si in patre aliquid scribi dicatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum liber vitæ sit idem quod prædestinatio.

Q VARTO Quæritur, Vtrum liber vitæ sit idē quod prædestinatio. Et videtur qđ sic. Aug. enim dicit quod liber vitæ est prædestinatio eorum, quibus debetur vita æterna.

¶ 2 Præ. Tributa diuina per effectus eorum cognoscimus: sed idem est effectus prædestinationis & libri vitæ. finalis gratia, & gloria. ergo idem est prædestinatio, & liber vitæ.

¶ 3 Præter. Quicquid dicitur Metaphorice in diuinis, oportet reduci ad aliquid dictū proprie: sed liber vitæ dicitur Metaphorice in diuinis. ergo oportet ad aliquid proprie dictum reduci: sed non potest ad aliquid magis proprie dictum reduci, quā ad prædestinationem. ergo idem quod prius.

Sed contra, Liber dicitur ex eo, quod in eo aliquid scribitur: sed ratio scripturæ ad prædestinationem non pertinet. ergo prædestinatio non est idem quod liber vitæ.

¶ 2 Præ. Liber de sui ratione nullam causalitatem importat respectu eorum ad quæ dicitur, prædestinatio autem importat. ergo non est idem prædestinatio cum libro vitæ.

RESPON. Dicendum, quod sicut ex dictis patet, liber vitæ dicitur in diuinis ad similitudinem scripturæ, per quam princeps ciuitatis dirigitur in admittendis, vel excludendis a ciuitatis suæ consortio: hæc autem scriptura inter duas operationes media inuenitur. Sequitur enim determinationem ipsius principis, qui dicit eos, quos vult admittere ab his, quos excludit, & præcedit ipsam admissionem, vel exclusionem. Scriptura autem prædicta non est, nisi representatio suæ prædestinationis: ita etiam & liber vitæ nihil aliud est quam quedam conscriptio diuinæ prædestinationis in mente diuina. Prædestinatio enim prædestinat eos, qui sunt ad vitam gloriæ admittendi. huiusmodi autem prædestinationis notitia semper apud Deum manet, & hoc quod est cognoscere se prædestinasse aliquos, est suam prædestinationem in eo esse scriptam, quasi in libro vitæ. liber autem vitæ, & prædestinatio formaliter loquendo non sunt idem, sed materialiter est liber vitæ ipsa prædestinatio: sicut dicimus, quod liber iste, materialiter loquendo, est doctrina Apostoli, quia doctrina Apostoli in eo conscripta continetur. Et hoc modo loquitur Augustinus, quod liber vitæ est prædestinatio.

Vnde patet responsio ad primum.

AD SECVNDVM dicendum, quod quamuis eundem effectum respiciant liber vitæ, & prædestinatio, non tamen eodem modo, sed prædestinatio respicit illum effectum immediate: liber autem vitæ mediante prædestinatione, sicut et in aliis sunt rerum similitudines immediate: sed in libro conscribuntur signa uocum, quæ sunt notæ passionis in anima, & ita liber mediate est signum rei.

AD TERTIVM dicendum, quod liber vitæ ad aliquid proprie dictum in diuinis reduci potest. hoc autem non est prædestinatio: sed prædestinationis cognitio, quia Deus aliquos se prædestinasse cognoscit. Ad ea quæ contra obijciuntur, non est difficile respondere.

1. par. q. 24. art. 1. 20. De ciuit. Dei cap. 15. in hinc 10. 5.

Art. 1. huius quæst.

20. de Ciuit. Dei, cap. 15. in hinc 10. 5.

A x i.

2. par. q. 1. art. 1.

20. de Ciuit. Dei, cap. 15. in hinc 10. 5.